Quelle: http://manuscripta.at/?ID=26370
Copyright: Admont, Benediktinerstift



brittannorum rex epistolam obsecrans ut per eius mandatum xpianus
efficeretur. Et mox effectum pie postulationis consecutus est. Sus
ceptamque fidem brittani usque in tempora diocliciani principis.
inuiolatam integramque quieta in pace seruabant. V.

Anno ab incarnatione domini centesimo octogesimo viii.
seuerus genere afer tripolitanus ab oppido lepti septimus
decimus ab augusto imperium adeptus xvii annis tenuit. hic
natura seuus multis semper bellis lacessitus fortissime sed labo
riosissime rexit quidem rem publicam. Victor quoque ciuilium bellorum
que et grauissima occurrerant in brittannias defectu pene om
nium sociorum trahitur. ubi magnis grauibusque pluribus sepe gestis re
ceptam partem insule acetis indomitis gentibus non muro ut qui
dam estimant sed uallo distinguendam putauit. Murus enim
de lapidibus uallum uero quo ad repellendam uim hostium castra mu
niuntur fit de cespitibus. quibus circumcisis et terra uelut murus ex
struitur. altus super terram ita ut in alto sit fossa de qua leuati sunt
cespites. super quam sudes de lignis fortissimis prefiguntur. Itaque
seuerus magnam fossam firmissimumque uallum crebris insuper
terribus communitum a mari ad mare duxit. ibique apud eboracum
oppidum morbo obiit. Reliquit duos filios basianum et getam.
quorum geta hostis publicus iudicatus interiit. basianus antonini
cognomine assumpto regno potitus est. VI.

Anno incarnationis dominice ducentesimo octogesi
mo iii diocliciano tricesimo tercio ab augusto imperatore ab